SERENISSIMO ac Excellentissimo Principi, et Domino Ferdinando, diuina fauente clementia Romanorum Imperatori, semper Augusto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, etc. Regi, infanti Hispaniarum, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, etc. Comiti Tirolis, Patri nostro charissimo ac honoran. Sigismundus Augustus Dei gratia, Rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, etc. Dnus et hæres.

SAlutem et filialis ac perpetui amoris continuum incrementum. SErenissime ac excellentissime Princeps, et domine pater noster charissime et honoran. In rationibus teloneorum nostrorum admissa esse quædam per notarios et perpetrata, dicuntur, quæ fisco nostro damnum ingens attulerunt, et quæ tamen ex syngraphis ac literis quietationum, quæ extat penes Austriæ ac Moraniæ teloneorum magistros, rectissime dicuntur posse expediri. Quamobrem Mtem uestram plurimum rogamus, mandet præfectis in Austria ac Morauia teloneorum suorum, ut earum quietationum, ad certum aliquod tempus Nobili Nicolao Cossiń præfecto teloneorum nostrorum copiam faciant: ut inde, quæ dolo malo quorundam ex familia ipsius fisco nostro decesserunt, aut recuperari possint aut certe quidem inuestigari. Ille autem fidem dabit, et quatenus opus fuerit, legitima omni ratione cauebit, se eas literas integras esse ad tempus remissurum et in loco repositurum. Valde id nobis a Mte ura gratum erit: cui hoc nomine omne nostrum studium et officium libenter deferimus, quamque optime ualere cupimus. Datum Vilnæ XX. die mensis Augusti, Anno Domini M. D. LX. Regni uero nostri anno XXXI.

Obsequentissimus filius

Sigismundus Augustus
Rex subscripsit

Serenissimo ac Excellentissimo Principi, et Domino FERDINANDO, Diuina fauente clementia Romanorum Imperatori, semper Augusto, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, etc. Regi, Infanti Hispaniarum, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, etc. Comiti Tirolis. Patri nostro charissimo ac honorandissimo.

Darauf haben die [illegible] die Abschriften der
[illegible], an stat aines Vidimus, wie Jr
[illegible] Junio [illegible] an die N.O. Camer be-
[illegible] ausgangen, dagegen [illegible] bewilligt, und [illegible]
dem [illegible] [illegible] abschrift
[illegible] bey der N.O. Camer zu [illegible] haben
[illegible] werde — 25. Sept. A° 60